

probant ex ipsorum effectibus, quos in hominibus arrepti-
 tiis & energumenis fieri novimus. Hi enim sæpè sunt idi-
 otæ, & tamen loquuntur variis linguis, de rebus aliàs inco-
 gnitis, blasphemandô, quandoque & mentiendô. Illorum
 igitur actuum necessariò danda est aliqua causa. Non autem
 sufficiunt ad illos præstandos homines ipsi, quos supponi-
 mus esse idiotas talium rerum ignaros & imperitos in linguis.
 Neque hi actus referendi sunt ad DEUM, quia sunt illi cum
 blasphemiiis & mendaciis conjuncti, quæ divinæ Veritati re-
 pugnant. Ergò est alia quædam creatura præter hominem
 & DEUM, quæ istos actus cieat. At hæc non est alia quàm
 Angelus. Verùm *Becanus in Theol. Scholast. p. 1. tr. 3. c. 1. q. 1.*
n. 3. Gregor. Valent. tom. 1. disp. 4. q. 1. Excellentissimus Dn. Ebe-
lius in Colleg. Metaph. publ. part. Spec. disp. 6. s. 1. & Excell. Dn.
Scherzerus in disp. de Ang. th. 4. n. 4. & c. hanc rationem pro
 nullâ habent, adferentes, omnes illos effectus posse quoque
 præstari ab animâ separatâ. Etenim hæc notitiâ variarum
 linguarum, quas in hac vitâ didicit, non destituitur, & jux-
 ta hos Autores, (quod quidem nos in præsentî non disputa-
 bimus, neque cuiquam litem ob id movebimus) potest habe-
 re *voluntatem male agendi, & potestatem movendi corpora a-*
lia, cum nulla repugnantia sit, quò minus anima separat a sub-
stantiam completam ut in essendo imitatur, ita quoque in ope-
randô. Sunt verba Exc. Dn. Ebelii in disp. de Angel §. 3.
 Quibus jam adfertis stantibus non magis è lumine Naturæ
 probari potest, Angelos hosce actus edere, quam dicere eos-
 dem quoque ab animabus defunctorum provenire posse.
 Inquis: nullum habemus indicium hos actus ab animâ sepa-
 ratâ edi. Resp. neque aliquod ex lumine Naturæ habemus
 indicium, illos potius ab Angelo fieri, quàm ab animâ sepa-
 ratâ, & si quoddam detur, eadem ratione animæ separatæ
 potest applicari. *Vide sjs Ad. citat.* Et sanè licet ex eò, quod
 Obses.